



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

23. De Purgatorio quæstiones duæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)



TRACTATUS VIGESIMVSTERTIVS. A  
De purgatorio, in duas quæstio-  
nes diuifus.

S V M M A R I V M.

- 1 Num in purgatorio possit esse meritum.
- 2 Num omnes anime in purgatorio existentes sint certa de sua salute.

QVÆSTIO I.

An in purgatorio possit esse meritum, &c.



**V**trum in purgatorio possit esse meritum aut charitatis augmentum. Et uidetur quod sic. Primo, quia una ex poenis purgatorii est timor ex imperfecta charitate procedens, qui desinere non potest nisi charitate perfecta, que foras mittit timorem, i. lo. 4.

Probatum assumptum, quia horror mortis, qui imperfecte annexus est charitati, peccatum est: quia qui uoluntarie non moritur, non obedit Deo vacanti nisi inuitus, huiusmodi autem horror animam sequitur in purgatorio proportionaliter.

Secundo, quia anime in purgatorio sunt in uia, impossibile autem est esse statum in uia in qua non progredi reuertitur est: ut Hier. dic.

Tertio quia uirtus in infirmitate perficitur, prima ad Corinth. 12. in purgatorio autem est maxima infirmitas.

Quarto, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ad Ro. 8. igitur & his qui sunt in purgatorio.

Quinto, quia impossibilis est uia creatoris perseverantia nisi accipiat magis atque magis, igitur non perseverarent in charitate, qui sunt in Purgatorio, nisi magis ac magis acciperent.

Ad euidentiã huius sciendũ est, quod quia status purgatorii est a nobis remotus, & parũ de eo in scriptura sacra hẽtur, oportet nõ ex opinatis sed ex certis investigare quod querimus. Certũ autem est in primis, quod statũ ille medius est inter nostrum & beatorum statum, dum nos omnino in uia, beati omnino in termino felici, illi uero, qui in purgatorio sunt, non totaliter in uia, aut extra uia, & similiter nõ totaliter in termino, aut extra terminũ sunt. Et quidem quod non totaliter in uia sunt, ex eo patet, quod extra uiam communem ad inferos, & superos, non pnt incurrere amplius supplicium eternum. Et similiter quod nõ totaliter sint extra uiam, ex eo patet, quod adhuc non peruenierunt ad patriam celestem, pro qua assequenda purgantur. Et hinc patet quoque, quod non sunt totaliter in termino, ad quem continua purgatione appropinquat nec sunt totaliter extra terminũ, in quo sunt sic diuina confirmatione fixi, ut ab illo diuertere nequeant. Hęc de Purgatorii statu, ut certa comunique ecclesie sensu confessã habemus: ex quibus clare patet an Purgatorium sit ut uia, uel ut terminus quo ad meritum. Sed quoniam status purgatorii non est per se, sed per accedens medius inter nostrum & patrie statum (ut patet ex hoc quod mediũ per se est in quod oportet ex altero procedentem extremo, primo peruenire quam in extremum; ut patet 5. Phy. & 10. Meta. constat autẽ, quod ex hac peregrinatione multi in celestem patriã perueniunt absque trãitu per Purgatorium (nõ igitur est purgatorii status per se medius inter nostrum & beatorum) & propterea ex rone mediũ si processerimus,

A facile falleretur: contingit enim in his que sunt per accidens et sapientes falli. Quocirca oportet uidere penes quid est medium Purgatorium, ut sic ueritatẽ quesiti sciamus: inuenimus autem ab ecclesia definitum Purgatorium esse medium quo ad satisfactionem pro actualibus peccatis, tunc statum quando homo in charitate decedens non plene satisfacit pro illis in hac uita, ita quod si homo in charitate decedens satisfacit hic, non transit per purgatorium, & si non satisfacit hic, transit per purgatorium. Ex qua determinatione iuxta regulam non Topicorum, sed Posteriorum Analyticorum; si affirmatio est causa affirmationis, negatio negationis, & e contra in causis propriis habemus quod purgatorium per se & proprie non est nisi ad satisfactionẽ debitã pro actualibus peccatis excludendam. Nam affirmatio satisfactionis adhuc debitã in decedente in charitate, est causa affirmati transitus per Purgatorium: & negatio debitã satisfactionis in decedente in charitate est causa negati transitus in purgatorium. I labetur autem hęc determinatio in Cõcilio Flo. sub Eugenio 4. inter definita pro cõcordia Græcæ & Latine ecclesie, ubi sic legitur, Si uero poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint & omiffis, eorum animas pennis purgatoriis post mortem purgari. Vbi apparet affirmationem debitę pro actualibus peccatis satisfactioni esse causam purgatorię penę, & subditur, illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas et que post contracti peccati maculam, uel in suis corporibus, uel eiusdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgate, in celum mox recipi & intueri clare ipsum Deum trinum & unũ sicuti est. Vbi patet negationem debitã satisfactionis poni cãm negationis purgatorio penę, dum & baptizatos sine adiffa decedentes culpa: & eos, qui in suis corporib. satisfecerunt mox in celum recipi, & intueri clare Deum sicuti est diffinitur. Ex his siquidem patet, quod nec pro fomite purgando: (qui et in baptizatis remanet) nec pro reliquis quibuscunque, nisi satisfactione debitã pro commissis uel omiffis, penę sunt purgatorię. Et similiter nec pro merito augendo, quoniam satisfacere pro peccatis, nec meritum nec cum nouo merito oportet esse: quia nihil aliud est quã exoluere penas debitas. Credendũ est igitur & pro determinato habendum, quod anime in purgatorio non sunt in uia quo ad meritum. Et confirmatur autoritate Aug. in Ench. c. 110. de purgatorio loquendo dicẽtis, quod illis profunt ecclesie suffragia qui hic meruerunt, ut eis prodescent. Et rursus: hic omne meritum comparatur. Et rursus, nemo speret quod hic neglexerit, cum obierit a Domino se promereri, quo possit post hanc uitam reuelari quifiam. Ex quibus absque alia probatione patet, quod ponere meritum post hanc uitam, contradicit sententie beati Aug. apertissime. Et in literis apostolicis, ubi datur indulgentia pro defunctis, dicitur de illis, Quo magis aliorum egent suffragiis, & quominus sibiipsis proficere ualent. Consonat autẽ hoc et rone recte: quia ex eo quod constat illos, qui in purgatorio sunt, non posse demereri (alioquin possent damnari) consequens est, ut non possint mereri.

Quo circa consequenter ad determinationem ecclesie loquendo, dicendum est ex similitudine in naturalibus, quod quemadmodum naturalia corpora extra propria loca genita, (puta si lapis genitus sit in loco superiori) hent determinationẽ sui ad

Opusc. Caieta. L 3 pro-



proprium locum, a quo impediuntur propter aliquod prohibens motum: ita decedentes in charitate habent determinationem suam ad celestem patriam, ad quam statim irent, nisi prohibens poena debita temporalis pro peccatis adesset. Et propterea sublata poena, uel per propriam exolutionem, uel per aliorum suffragia, statim caelum adit; sicut graue remoto prohibenti, redit deorsum. Et sicut nihil acquirit graue ex remotione prohibentis (sed iuxta pristinam grauitatem tendit ad proprium locum) ita anima ex remotione prohibentis, iuxta sortitam prius charitatem, in celestis patrie mansionem sibi partitam intrat. Et haec exemplariter sunt exposita: & uouit intelligere possint, qualiter anima in morte sortitur definitionem sui status quo ad meritum & demeritum; & cum hoc fiat quod impeditur a confectione regni celestis propter debitam poenam: quae absque merito exoluatur, & aufertur a suis fragantibus, uel a remouente prohibens. Consonare siquidem discursum hunc determinationi ecclesiae de purgatorio pro sola satisfactione necessario, cuiuslibet exercitatio facile patere potest. Quod tanto magis approbandum est, quanto illi omnia consonare uidentur, quae de purgatorio habentur, legitur. n. 2. Mach. 2. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis soluantur. Solui. n. uinculi absolutionem importat; detinentur enim poenalibus uinculis suorum peccatorum. Nec obstat si in textu hoc non inuenitur: quia maior est ecclesiae autoritas, ex Hier. hoc docentis. Purgatorii quoque nomen ideo accidit, quod a peccatorum poenalibus immunditiis animam purget, ut idonea sit ciuis celestis patrie. Et quia status augmenti charitatis ad statum meriti eiusdem spectat (nam augmentum charitatis terminat illius meritum) eadem ratione, qua charitas in Purgatorio extra statum est meriti, a statu quoque augmenti excluditur.

Ad primum in oppositum dicitur, quod concessio in purgatorio timore non damnationis, sed durationis magnae future poene (utpote quia incerti sunt de futuris suffragiis diminutiuis poenarum) non propterea sequitur quod oporteat charitatem augeri ad excludendum timorem: quoniam potest aliunde timor auferri, scilicet ex certificatione temporis & quantitatis poenae.

Sed argumentum falsum assumit, si quod timor omnis aut ille ex imperfecta procedat charitate; potest enim cum perfectissima charitate stare timor: ut patet de timore Christi. Nec obstat, quod perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam non uniuersaliter, sed particulariter intelligitur secundum glossam de timore, scilicet in li. uel in initiali inquam initiali. Falsum quoque est, quod horror mortis sit peccatum: quoniam naturalis est: & si cum imperfecta charitate sit, non tamen ex illa, sed ex naturali fuga mortis. Et licitum est in uoluntarie uoluntate naturali mori. Et similiter uoluntarie uoluntate rationali mori dicendo cum Christo. Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Vbi monstrat se nolle mortem, & submittere tamen se uoluntati Dei, talis autem est dispositionis quicunque in charitate decedit. Huiusmodi autem uoluntas naturalis fugiens naturaliter poenas, comitatur animam, si ad Purgatorium accedit, & facit animam tristari de poenis, quia tristitia est de his, quae nobis nolentibus accidunt: secundum Augustinum. Nec unquam separatur ab anima, nisi ipsa posset separari a seipsa, sed actus eius (puta tristari, timere) cessant cessantibus eorum materiis seu causis, scilicet malis poenae. Et ideo non oportet crescere propterea charitatem: sed desinere obie-

tristitiae & timoris, quae stante aequali charitate tolli posse constat. Quamuis etiam si anima secum aliquod timoris, uel alterius passiois peccatum deferret, non propterea oporteret nouum in illa meritum ponere ad delendum illud peccatum, ut patet Mat. 12. in glossa super illo uerbo, Neque in futuro dicente, Quaedam calpe parue, sed in futuro laxantur, quae quidem post mortem grauant, sed & dimittuntur, si homo bonis actibus in uita, ut sibi dimittantur promeruit. Hec ille.

Ad secundum dicitur, quod animae in purgatorio commo quo sunt in uia, progrediuntur, sunt enim in uia quo ad satisfaciendum, & continue progrediuntur exoluendo per se uel per alium.

Ad tertium dicitur, quod ad litteram apostolus loquitur in hac peregrinatione, in qua uirtus in infirmitate perficitur, non directe (infirmis. n. non est uirtus perfectiua) sed occasionaliter. Non est autem in purgatorio huiusmodi occasione opus, ubi non est status perficiendi.

Ad quartum dicitur, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum celestis beatitudinis, & sic omnia in purgatorio cooperantur in bonum celestis patrie, quia in maiorem appropinquationem in illud.

Ad quintum dicitur, quod magis ad magis potest referre, uel ad rem acceptam, ut sit sensus, nisi maiorem rem accipiat, & sic falsum assumitur, conseruatur enim res sine augmento sui. Vel ad acceptionem, ut sit sensus, nisi maior extentio sit acceptio, & sic est uerum, nam nisi conseruatio continue extendatur, desineret res esse, omnia enim in nihilum redigerentur, nisi ea manus omnipotentis conseruaret, inquit Gregorius. Unde ex hoc non habetur augmentum charitatis, sed conseruatio eius, augustinus die 17. Octobris 1518.

Q V A E S T I O II.  
Num omnes anime in Purgatorio sint certa de sua salute.

Q V E R I T U R. Vtrum anime omnes in Purgatorio sint certa de sua salute eterna. Et ut quod non. Primò, quia poene inferni, & Purgatorii sunt eadè, ac per hoc tantus est paor, & horror aliquarum animarum, ut impediatur eas, ut nesciant in quo statu sint.

Præterea, Quia multae defunctorum anime appaerunt nescientes statum suum, tanquam Deus sic eas iudicauerit: suspenderit tamè promulgationem sententiae respectu illarum.

Tertio, Quia nulla ratione, aut autoritate Scripturae: aut Ecclesiae inuenitur, quod omnes anime in purgatorio sint certa de sua eterna salute, &c.

In oppositum est communis ecclesiae doctrina.

Ad euidenciam huius questionis sciendum est, quod quum quaelibet anima a corpore separata uideat seipsam, & omnes species seu habitus in seipsa existentes (quoniam directe intuetur eius fertur in seipsam non impeditam a corpore, ut in hac uita contingit) consequens est, ut anima existens in purgatorio uideat charitatem, seu gratiae habitum in seipsa existentem, ac per hoc sciat, quod est in statu gratiae, & consequenter est certa de sua salute aeterna. Et confirmatur, quia in omni anima separata, quae purgatur, remanet fides & certa cognitio: quae hic habuit. quod omnes in Purgatorio sunt de numero electorum: & scit se esse in purgatorio: ergo est certa de sua salute. Probatur quod sciat se esse in purgatio, quia retinet certam fidem, quam hic habuit, secundum quod non datur quartus gradus animarum separatarum baptizarum, sed aut beata, aut damnata, aut



aut purgandæ sunt statim post mortem: & scit se esse baptizatam, & extra hanc vitam corpoream, & non beatam nec damnatam, ergo purgari ad æternam salutem. Et confirmari idem potest ex parte spei: remanet siquidem in omnibus animabus purgatorii virtus non solum charitatis & fidei, sed etiam spei, non otiosa, sed tunc maxime accensa ad suum obiectum, quod est beatitudo æterna. Et quum spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, quam in dānatis impossibile est esse, sequitur idem quod prius.

Ad primam ergo obiectionem dicitur primo, quod licet aliquæ penæ sint communes in inferno & purgatorio, non tamen eodem modo ex parte patientium: quia patientes in inferno, diversissimo modo sunt dispositi a patientibus purgatorie, ut patet. Quia qui purgantur habent voluntatem rectam & conformem Dei voluntati, amantes iustitiā Dei & sperantes in Deo ac Iesu Christi salute, damnati verò opposito modo se habent. Et propterea ignis cōis inferni & purgandis non eodem modo suscipitur a damnandis & purgandis, & ad modorum diversitatem spectat horror: in inferno enim horror est & diuinæ iustitiæ & penarum propter peruersam voluntatem eorum, in Purgatorio verò dolor qui dem poenarum, sed non horror est: quia amant diuinam iustitiā, & libenter sustinent pœnas propter diuinam iustitiā. Dicitur secundò quod sicut horror maxime in damnatis non impedit eos a perceptione sui status, multo minus impedit purgandos a perceptione sui status: non enim horror maior in Purgatorio quam in inferno est.

Ad secundum dicendum, quod doctrina ecclesiæ non inhaeret incertis visionibus, quales sunt istæ, quas ecclesia non approbavit & forte fuerunt somnia, aut extases, aut syncopæ, aut illusiones demonum ad noua dogmata inducenda.

Ad tertium patet ex dictis, quod certa ratione habetur omnes animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute. Augustus 25. Septembris, 1518.

## TRACTATUS VIGESIMVSQVARTVS.

De poenarum timore, in duas  
questiones diuisus.

## SVMMARIVM.

1. Num imperfecta charitas, necessario deferat secum post mortem timorem poenalem.

2. Num iustus timendo penam, peccet.

## QVAESTIO I.

An imperfecta charitas, necessario deferat secum post mortem, timorem poenalem.

**V**trum imperfecta charitas necessario deferat secum post mortem, timorem poenalem. Et uidetur quod sic: quia imperfecta charitas, quandiu hō est in hac vita, habet secum timorem, quā de sola perfecta charitate scriptum est prima 1o. 4. perfecta charitas foras mittit timorem, sed ex sola morte non perficitur, ergo necessario fert secum timorem: sed timor poenæ hēt ut ibidem dicitur: ergo.

In oppositum est, quia si sic esset, oporteret ut quilibet imperfectæ charitatis transiret per purgatoriu, quā nullus ingreditur cœlum cum timore poenali, sicut nec cum quacunque alia pena.

Ad euidentiā huius sciendum est, quod quia de

statibus vitæ futuræ id tenere debemus, quod scripturæ sacrae, aut Ecclesiæ autoritate dicimus, idcirco oportet hic supponere ecclesiæ diffinitionem, scilicet, quod si aliquis baptizatus moriatur, antequam culpam aliquam committat, ipsum in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnū, sicuti est, ut sub Eugenio 4. in Concilio Floren. patet. Ex qua diffinitione sequitur, quod charitas imperfecta non necessario fert secum post mortem, timorem poenalem; quoniam cōstat baptizatum hodie Ioannem aduultum, & statim absque commissio peccato aliquo defunctum, non oportere habuisse charitatem perfectam. Imo communiter baptizati sortiuntur charitatem imperfectam, quia incipiūt, & deinde proficiunt, & demum sunt perfecti: charitas enim meretur augeri, & aucta meretur perfici secundum August. Non consonat igitur ecclesiastica doctrina charitatem imperfectam ferre secum necessario post mortem timorem poenalem; a ratione quoque dissonat huiusmodi necessaria connectio. Habes quoque ex dicta diffinitione Floren. Concilij, animas non retardari a visione Dei & beatitudine, ex hoc quod quandiu vixerunt in corpore fomitem cum imperfecta charitate habuerūt: nā si rerardarentur, non statim baptizati, qui post non peccauerunt, beati migrantes essent. Nam quum timor seruilis, a quacunque minima charitate excludatur (quoniam per charitatem filij sumus Dei, & non per Spiritum seruituris in timore: sed Spiritu adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo clama-

mus Abba pater sicut in Apostolum) timor quicunque alius composibilis charitati non necessario ponitur in actu ex sola imperfecta charitate, sed oportet aliam positiuā causam apponere: puta aliquod malum imminens. Sed stat quod homini imperfectæ charitatis nihil imminentis mali occurrat post mortem: puta quia est in statu, in quo satisfecit plenè pro omnibus peccatis suis: ergo charitas illius nullum poenalem secum ducit timorem: sed statim perficitur perfectione patriæ celestis. Et sic licet in toto tempore præcedente charitas cōpassa fuerit aliquem timorem: ratione tñ status illius hominis (quia, nulli culpa nulliusque poenæ malo pro peccato subiaceret, tunc inuenitur) in primo instanti quo non viuūt hic, sed ibi charitas illa perficitur perfectione patriæ, ut dictum est, & non nisi timorem illum secum retinet, qui permanet in seculum seculi.

Ad obiectionem dicitur, quod gloss. ibidem exponit de timore seruilis, qui nec cum perfecta, nec cū imperfecta charitate manet. In cuius signum textus dicit vtrunque, & quod timor non est in charitate, & quod perfecta charitas foras mittit timorem. Aliter exponitur primum de timore seruilis, & secundum de timore filiali. Aliter & altius posset exponi de timore simpliciter, & charitate simpliciter, ut sit sensus, Timor non est in charitate: quia, si non necessario comitatur charitatem. Et ratio redditur, quia perfecta charitas (que scilicet est perfectio & perfecta simpliciter) foras mittit timorem: quia timor poenam habet. Charitas autem simpliciter sine omni etiam passibili malo & poenæ & culpæ est: charitas enim quā sit vna ex perfectionibus simpliciter, cōmunis est Deo, & creaturis, & in solo Deo inuenitur perfecta, sicut & sapiētia & bonitas; in quo nullum com pati timorem siue naturalem, siue reuerentialem, manifestum est. Et hæc expositio licet sit quo ad textum illum noua, est tamen in se vera, & non aliena a textu illo incipiente ibi, Deus charitas est, &c. & ex charitate Dei perfectione charitatis in nobis imitanda

Opusc. Caiet. L. 4. pro-